



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

Concilium Constantinopolitanum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

CONCILIVM  
CONSTANTINOPOLITANVM

LXXIII. EPISCOPORVM,

anno Domini CCCCLIX. celebratum sub Leone.

*Est prouinciale.*

EPISTOLA SYNODICA ET CIRCVLARIS  
ad abolendas simoniacas molitiones scripta.

*Religiosissimo & sanctissimo in sacris comministro N. Gennadius,  
& quæ in Christi amante regia ciuitate Constantinopoli  
coacta est sancta Synodus.*

Quid ad-  
uersum si-  
moniacos  
statutum sit.

CUM Dominus & Deus saluator noster Iesus Christus  
suis discipulis euangelii prædicationem credidisset,  
eosque per vniuersum terrarum orbem inter homines ad  
docendum misisset, aperte iussit, vt quod gratis accepif-  
sent, eis quoque gratis darent, non aurum vel argentum,  
aut alias omnino materiales & terrenas facultates pro eis  
acquirentes. Cælestibus enim & spiritualibus donis nulla  
est cum terrenis & temporalibus commutandi ratio. Hoc  
autem præceptum non solum illis, sed etiam nobis per  
illos dedit, quos in illorum gradum & locum substituere  
dignatus est: & oportet, sicut illi tunc, nos quoque nunc  
accurate & diligenter seruare, nec in iis quæ technas so-  
phisticas non admittunt, vti sophistica calliditate, nec  
aleam periculosam iacere. *Gratis* (inquit) *accepistis, gratis*  
*date. Non possidentes æs, neque aurum, neque argentum in ro-*  
*nis vestris.* Simplex est & aperta huius mandati ratio, quæ  
nihil habet varium, nihil quod non sit facile & explica-  
tum, nihil quod sophistica expositione egeat. A me (in-  
quit) accepistis dignitatem sacerdotii. Si mihi pro ipso  
parum quid vel magnum soluistis, & hoc a me venditum  
est, vos quoque ipsum aliis vendite: si autem gratis acce-  
pistis, vos quoque gratis date. Quid hoc est mandato a-  
pertius? Quid autem iis qui parent, vtilius? Væ illis ve-  
ra qui Dei donum acquirere, vel illud pro pecunia dare  
in animum inducunt. In fel enim amaritudinis & vincu-  
lum iniquitatis ii (iuxta sancti Petri sententiam) a sua ma-  
litia comprehensi sunt.

Math. 10.

Marc. 6.

Mat. 3.

ANNO  
CHRISTI  
459.

ANNO  
CHRISTI  
459.

Vnde & sanctorum & beatorum patrum sanctæ & magna Synodi œcumenicæ Calchedone congregatæ huic legi dominicæ conuenit Canon, qui sic a nobis aperte iisdem verbis editus est:

Canon Cœcili Calchedon. aduersus simoniacos.

Si quis episcopus pecuniis ordinationem fecerit, vel non venalem gratiam ad venditionem deduxerit, & pecuniis ordinauerit episcopum, vel coepiscopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum qui in clero connumerantur, vel pecuniis prouehat œconomum, vel defensore, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex clero, propter suum turpe lucrum: qui hoc aggressus esse conuictus fuerit, de proprio gradu veniat in periculum; & qui ordinatur, nihil ex ordinatione, vel promotione, quæ fit instar mercaturæ, iuuetur, sed sit alienus a dignitate, vel curatione, quam pecuniis affectus est. Si quis autem his turpibus ac nefariis lucris sequester intercessorve apparuerit, is quoque si sit clericus, a primo gradu excidat: si autem laicus, vel monachus, anathematizetur.

Pulcherrima & valde pia sunt huius Canonis sanctorum patrum præcepta, qui omnem inuasionem satanicam, diabolicumque conatum, qui in donum spirituale intenditur, repellit & rescindit. Nullo enim modo vult ordinationis promotionem pecuniis aut fieri, aut suscipi, nec ab eo qui illam exercet, nec ab eo qui ordinationis promotionem accipit: sed nec ante tempus ordinationis, nec post, dari pecunias concedit: omnium enim in hac quoque re esse sordes, munerumque corruptionem pronuntiat.

Eiusdem epistolæ veteris.

Quoniam tamen iis ita aperte prohibitis, quidam sunt in Galatarum ecclesia deprehensi propter turpe lucrum & auaritiam hæc salutaria & humana præcepta negligere & transgredi: ea quoque ipsa nobis renouare visum est, cum hac sancta Synodo, quæ in hac regione, noua Roma, nunc agit: vt sine omni penitus inuentione, & omni pretextu, callidoque commento, impiam hanc & odiosam, quæ nescio quomodo in sanctissimas ecclesias subiit, consuetudinem omnino excindamus; vt cum pura & absque vlla cauponatione eorum qui ordinantur, renuntiatio ab antistitibus facta fuerit, gratia Spiritus sancti su-

Galatæ simoniaci.

perne veniat. Quibus nescio an per pecuniam promotionem facientibus, & manu non pure operante, ad eum qui promouetur accedit, secundum vocem euangelii, & non potius retrahitur gratia sancti Spiritus.

Scias ergo, o vir religiosissime & omni ex parte sanctissime, quod quicumque huius conuictus fuerit episcopus, vel coepiscopus, vel viator, vel presbyter, vel diaconus, vel quiuis alius ex Canone, vel ex laicis, communi antistitum decreto, communique sententia condemnatus est, sicut de hoc quoque sanctorum patrum præcedens Canon loquitur. Oportet enim gratiam semper esse gratiam, & argentum apud eam nequaquam intercedere. Sit ergo & ab omni sacerdotali dignitate & ministerio alienus, & anathematis loco subiectus, qui & se per pecunias acquirere existimat, & qui eam pecuniis habere pollicetur, siue sit clericus, siue laicus, siue hoc facere conuincatur, siue non: quia fieri non potest, vt conueniant quæ conuenire nequeunt, nec vt mammona Deo consentiat; vel vt qui ei seruiunt, Deo seruiant. Domini est sententia, cui contradici non potest: *Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

*Math. 6.*

Nos in his pro viribus consulentes, & eis credentes\*, cum eo qui hæc dixit, aduersus eos qui in iis peccant, sententiam protulimus. Tua sanctitas curam gerat, omni adhibita diligentia, vt hæc per transcripta exemplaria innotescant & sanctissimis episcopis qui tibi subsunt, & *ἡγεμονίαις*, & aliis omnibus: vt in vno spiritu & vna anima omnes simul constipati Christiani aduersus communem inimicum, Dei auxilio, possimus auaritiæ radicem, quæ ab illo in nobis insita est, cum omnibus eorum malorum germinibus excindere. Omnem quæ tecum est in Christo fraternitatem salutamus. Fortis existens in Christo, ora pro nobis, sanctissime frater. Huic epistolæ cum ipso Gennadio subscripserunt etiam septuaginta tres.

Ioannes episcopus metropolis Heracleæ.  
Anastasius episcopus metropolis Ancyrae.  
Eunomius episcopus metropolis Nicomediæ.  
Petrus episcopus metropolis Nicææ.

ANNO  
CHRISTI  
459.

NOTA.

\* *Concilium Constantinopolitanum.* ] Cum Leo imperator apud Leonem pontificem de indicenda vniuersali Synodo diu frustra egisset, rogauit tandem vt a latere suo legatos mitteret Constantinopolim, qui vna cum Gennadio eiusdem sedis antistite vigilantissimo, ecclesias ab Eurychiana hæresi, & a labe simoniaca expurgarent. Præsentibus igitur Domitiano atque Geminiano episcopis, apostolicæ sedis a latere legatis, Gennadius e proximioribus prouinciis episcopos 73. conuocauit. Inchoato Concilio, ex more, primo omnium actum est de firmando fidei decreto in Calchedonenſi Concilio edito; quod hæretici frequentibus ictibus concutere, atque penitus deiicere conabantur. Deinde recitata fuerunt ibidem omnes illæ epistolæ, quas & episcopi orientis, & sanctissimi anachoretæ conscripserant. Ad tollendam simoniacam labem, quæ Constantinopolitanam ecclesiam deturparat, Canonem illum ediderunt, qui in epistola encyclica huius Concilii supra extante continetur. Reliqua acta omnia præter fragmentum supra positum interierunt. Vide Baronium anno 459. num. 1. 2. 3.

Causa  
Concilii.

Numerus  
episcoporum.

Acta  
Concilii  
quæ.

VITA,  
EPISTOLÆ, ET DECRETA  
HILARI PAPÆ.

*Ex libro pontificali.*

ANNO  
CHRISTI  
461.

HILARVS natione Sardus, ex patre Crispino, <sup>b</sup> fedit annos sex, menses tres, dies 10. Hic fecit decretalem, & per vniuersum orientem sparſit, & epistolas de fide catholica, confirmans tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Calchedonenſem, & tomum sancti archiepiscopi Leonis. Et damnauit Eutychem & Nestorium, & omnes eorum sequaces, & omnes hæreses, confirmans damnationem & principatum sanctæ sedis catholicæ & apostolicæ. Hic <sup>c</sup> fecit constitutum de ecclesia in basilica ad sanctam Mariam, consulatu Basilisci & Hermenerici, 16. Calendas Decembres. Hic fecit oratoria tria in basilicæ Constantinianæ baptisterio, sancti Ioannis Baptistæ, & sancti Ioannis euangelistæ, & sanctæ crucis, omnia ex argento & lapidibus preciosis. Confessionem autem sancti Ioannis Baptistæ fecit ex argento, pensantem libras 100. & crucem auream. Et confessionem sancti Ioannis euangelistæ fecit ex argento, pensantem libras 100. & crucem

auream. Et in ambobus oratoriis ianuas areas argento clusas. In oratorio vero sanctæ crucis fecit confessionem, vbi lignum posuit dominicum, & crucem auream cum gemmis, pensantem pondolibrarum 20. In confessione fecit ianuas ex argento, pensantes libras 50. Supra confessionem arcum aureum, qui pensat libras 4. quem portant columnæ onychinæ: & eo loci stat agnus aureus, qui pensat libras duas. Coronam auream ante confessionem. Pharum cum delphinis, pensantem libras quinque. Lampades aureas 4. pensantes libras duas. Nympheum & triporticum ante oratorium sanctæ crucis, vbi sunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur Hecatonpenta. Lacus & conchas cithariacas duas, cum columnis porphyreticis † foraitis, aquam fundentes. Et in medio lacum porphyreticum cum concha † raita in medio, aquam fundente, circumdata a dextris & a sinistris in medio cancellis æreis & columnis, cum fastigiis & epistyllis, vndique ornatis ex musiuo, & columnis Aquitanicis, & tripolitibus, & porphyreticis. Ante confessionem beati Ioannis posuit coronam argenteam, pensantem libras 20. Pharum cantharum, pensantem libras 25. Item ad sanctum Ioannem intra sanctum fontem lucernam auream cum † nixis luminum 10. pensantem libr. 5. Ceruos argenteos tres fundentes aquam, pensantes singulos libras 30. <sup>† tyche-  
nis</sup> Turrim argenteam cum delphinis, pensantem libr. 60. Columbam auream, pensantem libras duas. In basilica Constantiniana pharos cantharos argenteos, pendent ante altare, 10. pensantes singulos libras 20. Scyphum aureum, pensantem libras 6. Alium scyphum aureum, pensantem libras 5. Calices aureos 5. pensantes singulos libras † singulas. Scyphos argenteos 5. pensantes singulos libras 10. calices ministeriales 20. pensantes singulos libras 2. Amas argenteas 5. pensantes singulas libras 10. Ad beatum Petrum apostolum scyphum aureum, pensantem libras 5. Alium scyphum aureum cum gemmis prasinis & hyacinthinis, pensantem libras 4. calices argenteos ministeriales 10. pensantes singulos libras 2. Amas argenteas 2. pensantes singulas libras 8. Pharos cantharos argenteos 14. pensantes singulos libras 5. Ad beatum apostolum scyphum aureum, pensantem libras 5. Scyphos argenteos

† perforatis,  
† cithariaca.

† tyche-  
nis

† duas.

4. pensantes singulos libras 6. calices ministeriales 10. pensantes singulos libras duas. Amas argenteas duas, pensantes singulas libras 10. ad beatum Laurentium martyrem scyphum aureum cum gemmis prasinis & hyacinthinis, pensantem lib. 4. Lucernam auream † nixorum 10. pensantem libr. 5. Scyphum aureum purissimum, pensantem lib. 5. Lampades aureas 2. pensantes libras singulas. Pharus cantharum aureum, pensantem libras duas. Turrim argenteam cum delphinis, pensantem libras 25. Scyphos argenteos tres, pensantes libras 24. calices ministeriales 12. pensantes libras 2. Altare argenteum, pensans libras 40. Lampades argenteas 10. pensantes libras 20. Amas argenteas duas, pensantes singulas libras 10. In basilica beati Laurentii martyris, pharos cantharos argenteos decem, pensantes libras 10. Cantharos areos vigintifex. Ministeria ad baptismum siue ad poenitentem argentea, pensantia libras decem. Pharos areos 50. In vrbe Roma constituit ministeriales, qui circuirent constitutas stationes. Scyphum aureum ansatum vel stationarium, pensantem libras octo. Scyphos per titulos vigintiquinque, pensantes libras 10. Amas argenteas 25. pensantes libras 10. calices ministeriales 50. pensantes singulos lib. 2. Hæc omnia in basilica Constantiniana, vel ad sanctam Mariam constituta recondidit. Hic fecit monasteria ad sanctum Laurentium, & balneum, & prætorium sancto Laurentio. Fecit autem oratorium sancti Stephani in baptisterio Lateranensi. Fecit autem & bibliothecas duas in eodem loco. Ad Lunam vero monasterium in vrbe construxit. Hic fecit ordinationem vnâ in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros vigintiquinque, diacones quinque, episcopos per diuersa loca vigintiduos. Qui etiam sepultus est ad sanctum Laurentium in crypra, iuxta corpus beati Sixti. Et cessauit episcopatus dies decem.

## N O T Æ.

\* *Hilarus.* ] Post interregnum septem fere mensium, pridie Idus Initium pontificatus Hilari quando cepit. Nouembris anni 461. qui est Leonis imperatoris quintus, Hilarus natione Sardus, olim diaconus, & in Conciliabulo Ephesino legatione functus, in locum sancti Leonis subrogatus fuit. Initio pontificatus ea quæ tribus œcumenicis Conciliis contra Arianam, Nestorianam & Eutychianam hæresim decreta fuerunt, confirmauit,

nouum paschalem cyclum annorum quingentorum quadraginta duorum per Victorinum Aquitanum eius facultatis tum facile principem, Gennadio & Mariano Scoto auctoribus, fieri curauit. *Anthemium imperatorem occidentis*, inquit Gelasius epist. 11. ad Dardan. cum Philotheus Macedonianus, eius familiaritate suffultus, noua Conciliabula diuersarum sectarum in urbem inducere uellet, apud beatum Petrum apostolum palam ne id fieret, clara uoce constrinxit, in tantum, ut non ea faciendâ cum interpositione iuramenti idem imperator promitteret. Huius temporibus Constantinopoli, cuidam pictori Christum forma Iouis pingere conanti, manus exaruit: post facinoris & delicti confessionem, Gennadius episcopus Constantinopolitanus eum sanauit. *Cedrenus in compen.* Daniel Stylita sanctitate & miraculis celeberrimus claruit, qui precibus suis, ut referunt acta eiusdem, Leoni imperatori ex Verina coniuge prolem masculam obtinuit, & urbis Constantinopolitanæ incendium quatriduanum extinxit. Qua fortuna Hilarius infidiis Dioscori Alexandrini e latrocinio Ephesino elapsus, post legationem peractam Romam uenerit, quidve egerit, diximus supra in notis epistolæ illius, quam Hilarius adhuc diaconus ad Pulcheriam Augustam hac de re conscripsit.

Vltio diuina in pictorem.

Quamdiu sedem pontificiam obtinuerit.

Constitutum quid.

<sup>b</sup> *Sedit annos sex, menses tres, dies decem.* ] Quarto Idus Septembris anni Christi nati 467. qui est Leonis 11. imperii, Hilarius uita ac pontificatu defunctus, sedit annis sex, mensibus decem, minus duobus diebus. Constabit uerum esse quod dixi, si initium & finem pontificatus consideres.

<sup>c</sup> *Fecit constitutum.* ] Id est decretum synodale, ut dixi supra in notis ad vitam Innocentii. Hoc autem decretum, de quo loquitur auctor pontificalis Anastasius, latum fuit in Concilio Romano sub Hilario celebrato, anno Domini 465. qui pontificatus Hilari quintus annus est.

EPISTOLA  
HILARI DIACONI SACRÆ  
ROMANÆ ECCLESIAE,  
ET SANCTI LEONIS PAPÆ LEGATI,  
AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

De Ephesino Conciliabulo, factionibus Dioscori,  
& fuga sua.

*Gloriosissimæ & piissimæ Pulcheriæ Augustæ  
Hilarus diaconus.*

**S**TVDIVM mihi fuisse, &c. *Excusa est cum quibusdam annotationibus supra in præambularibus Concilii Chalcedonensis.*

EPIST.



EPISTOLA I.  
HILARI PAPÆ  
AD EPISCOPOS TARRACONENSES.

De synodali decreto.

*Flauio Basilio & Herminero uiris clarissimis consulibus.*

**Q**VONIAM religiosus, &c. *Extat infra in Concilio Romano sub Hilario.*

\* EPISTOLA I.  
TARRACONENSIVM EPISCOPORVM  
AD HILARVM PAPAM.

De ordinatione episcopi per Siluanum Calaguritanum episcopum contra patrum regulas & Nicænos Canones facta apud Romanum pontificem conqueruntur, eumque consulunt, quid in hoc casu facere, aut qua ratione abusus eiusmodi occurrere debeant.

*Domino beatissimo, & apostolica reuerentia a nobis in Christo colendo papæ Hilario, Ascanius episcopus, & uniuersi episcopi Tarraconensis prouinciæ.*

\* di-  
ret.

**E**TSI nulla \* extaret necessitas ecclesiasticæ disciplinæ, <sup>Hispani episcopi quantum colant Rom. pont.</sup> Hæreticum re vera nobis fuerat illud priuilegium sedis vestræ, quo susceptis regni clauibus post resurrectionem Saluatoris, per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio uniuersorum illuminationi prospexit: cuius vicarii principatus sicut eminent, ita metuendus est ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in uobis penitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus apostolico ore laudatam, inde responsa querentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur.

\* ordina-  
tiones

Cum hæc ita se habeant, est tamen inter nos falsus frater, cuius præsumptionem sicut diutius tacere non licuit, ita & loqui futuri iudicii necessitas imperauit. Siluanus quidem episcopus Calaguræ in vltima parte nostræ prouinciæ constitutus, \* diuinationes sibi indebitas usurpando, humilitatem nostram ad hoc vsque perduxit, ut

*Concil. Tom. 9.*

M m m

Silvani  
causa.

contra eius vanissimam superstitionem sedis vestrae unicum remedium flagitemus. Hic namque iam ante septem aut octo amplius annos, postponens patrum regulas, & vestra instituta despiciens, nullis petentibus populis episcopum ordinavit: cuius præproperum factum existimantes fraterna & pacifica posse admonitione sanari, profecit in peius. Denique contra vetustatem Canonum, contra Synodi constituta, alterius fratris nostri presbyterum, spiritu tantum præsumptionis accensus, in eodem loco, qui illi fuerat destinatus, cui invito & repugnanti imposuerat manus, & qui nostro iam cœtui fuerat aggregatus, episcopum fecit. Hinc factum est, ut de eius miserrima temeritate ad nos Cæsaraugustanae urbis episcopus frater noster uniuersa referret, cuius diligentia & sollicitudo admodum prospexerat, si in aliquo profuisset. Siquidem cunctis in vicinia positis episcopis, ne se schismatico adiungerent, frequentissime contradixit: sed obstinatione damnabili totum, quod erat illicitum, & quod nobis pudor est dicere, non erubuit solus ille committere.

Causas episcoporum ad Rom. pont. deferri.

Proinde quia his præsumptionibus, quæ unitatem diuidunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurrere: quæsumus sedem vestram, ut quid super hac parte obseruare velitis, apostolicis assatibus instruamur: quatenus fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi constitutis, contra rebellionis spiritum vestra auctoritate subnixi, quid oporteat de ordinatore & de ordinato fieri, intelligere, Deo adiuuante, possimus. Erit profecto vester triumphus, si apostolatus vestri temporibus, quod sancti Petri cathedra obtinet, catholica audiat ecclesia, si nouella zizaniorum semina fuerint extirpata. *Et subscriptio.* Orantem pro nobis sanctum apostolatium vestrum iugi æuo diuina conferuet æternitas.

## NOTA.

Hæc epistola lecta est in Conc. Rom.

\* *Epist.*] Hæc epistola lecta est in Concilio Romano anno Domini 465. Romæ celebrato, de quo infra. Dum legeretur, patres suas sententias acclamando & interloquendo addiderunt. Hoc igitur loco placuit eam ex Cresconio & manuscripto Vaticano ad verbum collocare, sicut a Tarraconensibus ad sedem apostolicam scripta & directa fuerat. In Synodo Romana cum appositis acclamationibus, interlocutionibus, & sententiis patrum excusa habetur. Vtrobique

itaque ponenda fuit : vt quas illa ex patrum sententiis interpositis additiones accepisset, facile constare posset. Et quamquam barbaricus furor Gothorum Hispaniarum ecclesias prope omnes deuastantium, vigorem ecclesiasticæ disciplinæ in Hispania relaxasset, Tarraconensem tamen prouinciam custodem legum & Canonum permanuisse, Romanum pontificem obseruasse, omnes controuersias ad eundem velut ad supremum iudicem & pastorem ecclesiæ detulisse, hæc epistola manifesto satis indicat.

Tarraconensis prouincie constantia in fide.

## EPISTOLA II.

TARRACONENSIVM EPISCOPORVM  
AD HILARVM PAPAM.

*Beatissimo, & apostolica reuerentia a nobis in Christo colendo  
papæ Hilario, Ascanius & uniuersi episcopi  
Tarraconensis prouinciæ.*

QVAM curam apostolatus vester de prouinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vincentio, duce prouinciæ nostræ, referente cognouimus: cuius impulsu votum nostrum in ausum scribendi prona deuotione surrexit. Ergo prouinciali literario sermone debita coronæ vestræ obsequia deferentes, his quæsumus, vt dignatione, qua ceteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime & apostolica reuerentia in Christo a nobis colende pater: illud specialius deprecantes, vt factum nostrum, quod tam voto pene omnis prouinciæ, quam exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpenis assertionibus nostris, roborare dignemini. Episcopus Barcinonensium ciuitatis sanctus Nundinarius sortem expleuit conditionis humanæ. Hic episcopo venerabili fratri nostro Irenæo, quem ipse antea in diocesi sua nobis volentibus constituerat, derelinquens ei, quod potuit habere paupertas, supremæ voluntatis arbitrio, in locum suum vt substitueretur, optauit: sed defuncti iudicium in eius meritum non vacillat. Siquidem omnis clerus & plebs eiusdem ciuitatis, & optimi & plurimi prouinciales, vt idem eius locum obseruaret, a nobis sperauerunt, dato consensu. Nos cogitantes defuncti iudicium, & probantes eius vitam, & eorum nobilitatem atq; multitudinem, qui petebant, simul & vtilitatem ecclesiæ

Ex Cresconio & Var. manuſc. codicibus. Item ex. tom. 1. epi. Rom. pont.

*Concil. Tom. 9.*

M m m ij

memorata, optimum duximus, vt tanto sacerdoti, qui ad diuina migrauerat, non minoris meriti substitueretur antistes, præsertim cum ecclesia illius municipii, in qua ante fuerat ordinatus, semper huius ciuitatis ecclesiæ fuisse diocæsis constet. Ergo suppliciter precamur apostolatam vestram, vt humilitatis nostræ decretum, quod iuste a nobis videtur factum, vestra auctoritate firmitis. Iamdudum sane questi fueramus literis nostris de præsumptione Siluani episcopi: & miramur, quod nulla apostolatam vestri responsa suscepimus. Nunc hæc eadem suggerentes, petimus, vt quid super his rebus obseruandum sit, apostolicis sermonibus nos dignemini informare. Et ne forsitan per negligentiam portitoris, aut per longinqui itineris difficultatem, humilitatis nostræ ad vos scripta non potuerint ex hoc negotio peruenire, etiam suggestionem nostram maluimus iterare. *Et subscriptio:* Orantem pro nobis sanctum apostolatam vestram iugi æuo diuina conseruet æternitas nobis omnibus & ecclesiæ suæ, domine <sup>†</sup>vere noster & apostolice papa.

† vete-  
randa

## NOTA.

\* *Epistola.*] Hanc epistolam, (quæ prioris iam dudum scriptæ mentionem facit, adeoque tempore posterior est) priori illi Tarraconensium postposui hoc loco: putavi enim gratius fore ad veritatem rei gestæ facilius perspiciendam, si, quæ prius acta sunt, priore loco enarrentur & collocentur. In Concilio Romano hæc primo loco recitata, primo ordine merito collocata fuit. Acclamationes episcoporum lectioni huius epistolæ interpositas infra designabimus in prædicto Concilio Romano. Memoratu digna duo continet. Vnum, quod ad Romanam sedem tantum pertineat dispensare in iis, quæ contra Canones præsumpta sunt: alterum, quod nullius Concilii prouincialis tanta est auctoritas, vt inconsulta sede apostolica id præstare potuerit.

## \*EPISTOLA II.

## HILARI PAPÆ

## AD ASCANIVM

ET RELIQVOS TARRACONENSIS PROVINCIÆ  
episcopos.

- I. *Vt nullus sine cōsensu episcopi metropolitani episcopus ordinetur.*      *pria ecclesia, ad aliam transeat.*  
 II. *Vt nullus episcoporum, relicta propria ecclesia, ad aliam transeat.*      *III. Vt Irenæus remotus a Barcinonensi ecclesia, ad propriam reuertatur.*

\* quod  
que

IV. De remouendis episcopis qui V. De damnatione Irenæi, si ad  
 illicitè ordinati sūt, & ne in vna suam ecclesiam non reuertatur.  
 ecclesia duo episcopi habeantur.

Hilarus episcopus Ascanio & vniuersis episcopis Tarraconensis  
 prouinciæ.

POSTQVAM literas vestræ dilectionis accepimus, qui-  
 bus præsumptiones Siluani episcopi Calagurensum  
 ecclesiæ retundi petistis, & rursus Barcinonensium quæ-  
 ritis nimis illicita vota firmari: honoratorum & possessorum  
 Turiaffonensium, Cascāensium, Calaguritanorum,  
 Virgiliensium, Triciensium, Legionensium & Ciuita-  
 tensium, cum subscriptionibus diuersorum, literas nobis  
 constat ingestas; per quas id quod de Siluano querela ve-  
 stra deprompserat, excusabant. Sed reprehensione ius-  
 tissima eorum pariter iusta allegatio non carebat; quia  
 præter conscientiam metropolitani, fratris & coepiscopi  
 nostri Ascanii, nonnullis ciuitatibus ordinatos claruit sa-  
 cerdotes. Vnde, quoniam quidquid ab alterutra parte est  
 indicatum, omni videmus peruersitate confusum, tem-  
 porum necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad-  
 veniam pertinere quod gestum est, vt nihil deinceps con-  
 tra præcepta beati Apostoli, nihil contra Nicænorum  
 Canonum constitutum tentetur.

1. qu. 7. c.  
 Quoniam  
 quidquid.

1. Tim. 3.  
 & Heb. 10.  
 Nicæ. Con-  
 cil. IV. & VI.

## I.

Hoc autem primum, iuxta eorundem patrum regulas,  
 volumus custodiri, vt nullus præter notitiam atque con-  
 sensum fratris Ascanii metropolitani aliquatenus conse-  
 cretur antistes: quia hoc & vetus ordo tenuit, hoc trecen-  
 torum decem & octo sanctorum patrum definiuit aucto-  
 ritas; cui quisquis obuias tetenderit manus, eorum se con-  
 sortio fatetur indignū, quorum præceptionibus resultarit.

## II.

In quorum contumeliam a superbo spiritu etiam pars  
 illa contemnitur, qua vetatur, ne quis, relicta ecclesia  
 sua, ad alteram transire præsumat. Quod nimis improbe  
 conuiuentibus, & (vt doleatur grauius) vobis asserentibus,  
 Irenæus episcopus conatur admittere, \* qui nostra au-  
 ctoritate roborari cupitis, quos maxime de rebus illicitis  
 magna indignatione probatis accendi. Lectis ergo in

Sard. Con-  
 c. 1. & 2.

\* quod  
 quæ

Mmm iij

conuentu fratrum, quos natalis mei festiuitas congregat, literis vestris, quæ de ordinandis episcopis secundum statuta Canonum vel prædecessorum meorum decreta sunt, prolata sententia, gestorum, quæ pariter direximus, tenore discetis.

## III.

7. qu. 1. c.  
Remoto.

Vnde remoto ab ecclesia Barcinonensi, atque ad sua remisso Irenæo episcopo, sedatis per sacerdotalem modestiam voluntatibus, quæ per ignorantiam ecclesiasticarum legum desiderant, quod non licet, obtinere; talis protinus de clero proprio Barcinonensibus episcopus ordinetur, qualem te præcipue, frater Ascani, oporteat eligere, & deceat consecrare: ne si \* similiter forte factum \* aliter fuerit, non sine obiurgatione tui maxime nominis \* retundat nostra præceptio, quod in iniuriam Dei, a quo specialiter sacerdotalium est gratia dignitatum, didicerimus admissum. Nec episcopalis honor hereditarium ius putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate Christi confertur.

## IV.

Leuit. 21.

Ezech. 44.

1. Tim. 3.

Ordinatos ergo nunc episcopos (qui, licet te ignorante prouecti sunt, cum suis auctoribus meruerunt submoueri) hac ratione firmamus, si nec viduarum maritus fuerit quisquam, \* & in vnus virginis nuptias ac vota conuenit, sicut & legalia constituta præcipiunt, dicendo: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam*: secundum quod etiam beatus apostolus Paulus, magister gentium, de his qui fieri desiderant sacerdotes, propria institutione non tacuit, dicens: *Vnius uxoris virum*. Cuius sane tenore sententiæ ita informati esse debetis, fratres carissimi, vt inter cetera quæ cauenda sunt, hæc studeatis præcipue custodire, quæ cognoscitis ante vniuersa mandari. In quibus etiam \* prospiciendum est, ne duo simul sint in vna ecclesia sacerdotes: nec literarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum, vel etiam ex pœnitentibus aliquis ad sacrum ministerium prorsus sinatur accedere. Nec tantum putetis petitiones valere populorum, vt cum his parere cupitis, voluntatem Dei nostri, qui nos peccare prohibet, deseratis. Cuius indignatio ex hoc grauius commouetur, quia benignitas eius, dum

fiunt illicita per eos qui sunt interpretes placationis, offenditur.

## V.

Vt autem omnia secundum hæc quæ scripsimus, corrigantur, præsentem literas, Traiano subdiacono nostro veniente, direximus. Quod si Irenæus episcopus ad ecclesiam suam, deposito improbitatis ambitu, redire neglexerit, quod ei non iudicio, sed humanitate præstabitur, remouendum se ab episcopali consortio esse cognoscat. Deus incolumes vos custodiat, fratres carissimi. Data tertio Kalendas Ianuarii, Basilisco & Herminerico viris clarissimis consulibus.

An. Dom.  
465.

## NOTA.

\* *Quos natalis mei festiuitas congregat.* ] Per natalem diem pontificis Hilari intellige diem ordinationis siue electionis, quo in summum pontificem electus & assumptus fuit. Solennis enim hoc tempore consuetudo erat, vt plures episcopi singulis annis Romam conuenirent, magna cum solennitate celebraturi illum diem, quo episcopus Romanæ ecclesiæ ad summi pontificatus culmen assumptus fuit. Sanctus Leo aliquos sermones de sua ordinatione, siue anniuersario die assumptionis suæ ad fastigium & culmen summi pontificatus habuit. Huc faciunt ea quæ sanctus Augustinus habet de die natali Aurelii episcopi Carthaginensis, sermone trigesimo secundo de verbis Domini in fine, deque anniuersario die ordinationis suæ, homilia 24. & 25. Quomodo hoc idem nonnulli auctoritate Paulini epistola decima sexta ad Delphinum confirmant, non video. Loquitur enim de solenni illa & antiquissima consuetudine, qua solebant fideles, nulla habita ratione calorum æstiuorum, ad natalem diem sanctorum apostolorum Petri & Pauli concurrere: de qua egimus supra in notis epistolæ illius præambularis Concilii Calchedonensis, quam Galla Placidia scripsit ad Pulcheriam Augustam. Vide Baronium anno 465. num. 17.

Natalis dies  
pontificis  
quis.

## \*EPISTOLA III.

## HILARI PAPÆ

AD ASCANIVM TARRACONENSEM EPISCOPVM

priuatim scripta: estque eiusdem argumenti  
cum epistola præcedente.

*Dilectissimo fratri Ascanio Hilarus episcopus.*

**D**IVINÆ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam ob hoc ad fa-

stigma sacerdotale prouexit, vt mandatis ipsius inharen-  
tes, & in quadam \* sacerdotii eius specula constituti, pro-  
hibeamus illicita, & sequenda doceamus. Vnde directis <sup>\* sacer-</sup>  
per Traianum subdiaconum nostrum literis admonemus, <sup>dotum.</sup>  
vt quæ male sunt facta, corrigantur. Et miramur admo-  
dum dilectionem tuam Barcinonensium petitiones non  
solum nulla auctoritate retudisse, verum etiam, directis  
ad nos literis, \* consummationem prauis desiderii postu-  
lasse, adhibendo in epistolarum proœmio Concilii men-  
tionem: tamquam culpæ minuerentur excessus per mul-  
titudinem \* imperitorum, cum si etiam sub significatione <sup>\* confen-</sup>  
vnusquisque sui nominis tecum pariter retulisset, & sub-  
scriptionem proprias factas singuli commodassent, <sup>sionem</sup>  
dilectionem tamen tuam rei, de qua displicet, summa tange-  
bat: quia pro loco & honore tibi debito, ceteri sacerdotes  
docendi fuerant, non sequendi. Vnde sicut in generali-  
bus literis indicaui, Irenæus ad propriam reuertatur ec-  
clesiam, & Barcinonensibus de suo clero protinus conse-  
cretur antistes, cui tamen statuta Canonum & apostolica  
præcepta concordent. Et licet hi qui præter notitiam at-  
que consensum tuæ dilectionis ordinati sunt sacerdotes,  
cum suis debuerint auctoribus submoueri: ne quid ta-  
men in tanta necessitate decernamus austerum, eos qui  
episcopi facti sunt, ita volumus permanere, vt in aposto-  
licis præceptionibus & statutis sanctorum patrum non  
reperiantur obnoxii, ac deinceps nihil, quod contra di-  
sciplinam ecclesiasticam veniat, sicut hætenus factum  
est, perpetretur. Tuæ sollicitudinis est, frater carissime,  
omnia debita tibi auctoritate tueri, & illicitis non modo  
non præbere assensum, sed etiam cuncta, quæ contra  
regulam facta repereris, coercere: atque ante omnia,  
quæ sola vnitatem decernimus, Irenæum ad ecclesiam  
suam redire compelle. Ad quam sponte potius redire de-  
bebit, si a sacerdotali consortio non metuit separari. Nec  
vnius ecclesiæ duo esse permittantur antistes, quod  
opportuniùs supradicti subdiaconi fieri delegamus in-  
stantia, quem etiam pro conseruanda ecclesiæ disciplina,  
commeare ad Hispanias, dispositionis nostræ fecit aucto-  
ritas. Deus autem incolumem te custodiat, frater caris-  
sime.

NOTA.



## NOTA.

\* *Epistola.* ] Huius pluriumque aliarum epistolarum pontificiarum idem & commune esse exordium, patebit facile, si prima Zephyrini, & tertia Fabiani, cum hac tertia Hilari: item si tertia sancti Leonis cum secunda Pelagii, conferantur.

## \*EPISTOLA IV.

## HILARI PAPÆ

AD <sup>b</sup>LEONTIVM, VERANVM, ET VICTVRVM  
EPISCOPOS.

Delegat illis Ingenui & Auxanii episcoporum contro-  
uersiam, statuitque, vt Cemelenensis ciuitas & Nicaen-  
se castellum ad vnius episcopi regimen reuertantur.

*Dilectissimis fratribus, Leontio, Verano & Victuro episcopis,  
Hilarus papa.*

**M**OVEMVR ratione iustitiæ, quæ licet ab omnibus  
qui recta sapiunt, debeat custodiri, tum præcipue  
Domini sacerdotibus non est temere negligenda, quorum  
ceteros informari conuenit institutis. Frater igitur & co-  
episcopus noster Ingenuus Ebredunensis, alpium mari-  
timarum prouinciæ metropolitanus semper honore subni-  
xus, in præiudicium suum, sicut annexa declarant, quæ-  
dam nos, petente fratre & coepiscopo nostro Auxanio,  
statuisse commemorat, quæ vniuersis in hac eadem causâ  
defensionibus contrairent. Siquidem relationibus in no-  
stro iudicio recensitis, quas frater & coepiscopus noster  
Veranus ad sanctæ memoriæ decessorem meum cum ce-  
teris prouinciæ sacerdotibus misit, & apostolicæ sedis,  
quæ tunc directa fuerat, responsione patefacta manife-  
stum est, nihil postea debuisse tentari, nec ad iniuriam  
synodaliū regularum quidquam per obreptionem,  
quæ proxime facta est, oportere constitui. Nam licet ex  
hoc etiam quod a nobis est elicitum censeatur infirmum,  
quia & ipsum insinuatum est exequi noluisse qui meruit;  
tamen ne odio vel gratia moueamur, quæ in causarum  
disceprationibus esse non debet, ita vestræ caritati cog-  
nitionem adnexæ querimoniæ delegamus, vt nihil ad-  
uersum venerandos Canones, nihil contra sanctæ memo-  
riæ decessoris mei iudicium valeat, quidquid obreptum

*Concil. Tom. 9.*

Nnn

nobis esse constiterit. <sup>d</sup> Nolumus namque, fratres carissimi, ecclesiarum priuilegia, quæ semper sunt seruanda, confundi; nec in alterius prouincia sacerdotis alterum ius habere permittimus: quia per hoc non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in iniuriam ipsius Domini profilitur, cuius expectatio fructus nostri ministerii non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponitur animarum. Habeat itaque pontificium frater & coepiscopus noster Ingenuus prouincia suæ, de cuius dudum ab apostolica sede est illicita cessione culpatus: & custoditis omnibus, quæ super ecclesiis Cemelenensis ciuitatis, vel castelli Nicaensis, sicut diximus, sanctæ memoriæ decessoris mei definiuit auctoritas, nihil ecclesiarum iuri noceat, quod in altera memoratarum a prædicto fratre, ad excludendam cupiditatem, quemadmodum perhibuit, ambitionis alienæ, proxime est episcopus consecratus: sed statutæ correctionis forma permaneat, vt ad vnus antistitis regimen prædicta loca reuertantur, quæ in duos diuidi non decuit sacerdotes. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

## NOTÆ.

Qua occasione scripta.

<sup>a</sup> *Epistola.*] Epistola hæc scripta fuit ea occasione. Auxanius episcopus per obreptionem impetrauerat, vt Ebredunensis prouincia suo episcopatu quoad iurisdictionem ecclesiasticam subiiceretur. Quod cum in præiudicium Ingenui Ebredunensis episcopi, aliumque maritimarum metropolitani, auctoritate apostolica concessum esset, ad instantiam & querelam eiusdem Ingenui, Leontio, Verano & Victuro causæ inquisitionem & instaurationem iurium Ebredunensis metropolitani delegauit. Aduersus illos qui insana cupiditate laborant, vt suæ diocesis fines dilatent, auream & notatu dignissimam sententiam addidit hæc: *Expectatio fructus nostri ministerii non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponitur animarum.* Baron. anno 465. num. 27.

Leontius quis.

<sup>b</sup> *Leontium.*] Etiam si hic nulla mentio fiat, cuius ecclesiæ Leontius episcopus fuerit, dubium tamen nullum est Foroiulensem episcopum fuisse, quem Hilarus Arelatensis in funebri oratione de sancto Honorato episcopo prædecessore summis laudibus extulit, & ad quem Sidonii Apollinaris literæ scriptæ reperiuntur, cuiusque sanctus Leo meminit in epistola 89. ad episcopos Galliæ Viennensis. Baronius prædicto loco.

<sup>c</sup> *Quidquam per obreptionem, quæ proxime facta est.*] Hoc exemplo constat, aures summorum pontificum falsis ac sinistris accusationi-

bus & relationibus perſæpe oppleri, adeo vt bonos atque innocentes quandoque ex malis informationibus condemnent ac opprimant. Nemo ergo miretur, quod ſanctus Leo Hilarum Arelatenſem, Hilarus pontifex Mamertum Viennenſem, epiſcopos ſanctitate celeberrimos acerbe exagitarint: cum & in his quæ contentioſiora ſunt, facillimum ſit ſub ſpecie recti vnumquemque decipere.

<sup>a</sup> *Nolumus eccleſiarum priuilegia confundi.* ] De priuilegiis eccleſiarum antiquitus conceſſis nihil innouandum eſſe, non tantum decretis pontificum, verum etiam publica ſanctione Marciani imperatoris conſtitutum fuit. *Priuilegia*, inquit lib. 12. cap. de ſacroſancta eccleſia, *quæ generalibus conſtitutionibus vniuerſis eccleſiis orthodoxa religionis retro principes præſtiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus cuſtodiri. Omnes ſane pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones eccleſiaſticos interueniunt gratia vel ambitionis elicitæ ſunt, ſuo robore & firmitate vacuatas eſſe præcipimus, &c.* Quid de priuilegiis inuiolabiliter cuſtodendis tenſerit ſanctus Leo, ex eiſdem epiſtolis 53. 54. 55. 89. & 109. cognoscere licet.

## EPISTOLA V.

## HILARI PAPÆ

AD LEONTIVM EPISCOPVM ARELATENSEM.

De epiſcopatus ſui primordiis.

*Dilectiſſimo fratri Leontio, Hilarus papa.*

QUANTVM reuerentiæ in ſpiritu Dei, qui ſubditos ſibi inhabitat ſacerdotes, beato Petro apoſtolo & ſedi ipſius deferatur, omnibus arbitror eſſe compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta cuſtodia eſt. Quos cum volumus de noſtræ ordinationis primordiis gratulari, opera quæ in nos diuinæ pietatis dignatio oſtendit, ſanctitati tuæ duximus indicanda: vt ipſe primum pro eo quem nobis inuicem ſemper impendimus, præſtante Domino, lateris affectu: deinde vt diſpoſitione tuæ fraternitatis omnibus per vniuerſam prouinciam fratribus & conſacerdotibus innotefcat, quod humilitatem meam dextera Domini viſitare dignata ſit, & mihi apoſtolicæ ſedis regimen non pro merito, ſed pro ſuæ gratiæ abundantiffima largitate commiſerit. Proinde, frater cariffime, quod ſanctitati tuæ præſenti ſermone patefecimus, in omnium fratrum, quemadmodum diximus, notitiam deferre dignaberis: vt ſupplicaturi Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſicut exultationis gaudia, ita profutura vniuer-

*Concil. Tom. 9.*

Nnn ij

fali ecclesiæ orationum suarum nobis vota coniungant. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data VIII. Kalendas Februarias, DN. Seuero Augusto consule.

## NOTA.

\* *Epistola.*] Hæc epistola circularis est & encyclica, ex more & consuetudine de noui pontificis creatione ad omnes ecclesias transmissa. Hæc eiusdem argumenti, eorundemque verborum ad Leontium scripta, extat in vetere codice Arelatenſis ecclesiæ, vnde cum sequentibus omnibus acceptæ, ab illustrissimo cardinale Baronio primum in lucem emissæ inueniuntur.

EPISTOLA VI.  
HILARI PAPÆ  
AD LEONTIVM.

Respondet ad literas Leontii, quas scripserat cum præcedentem Hilari epistolam nondum accepisset.

*Dilectissimo fratri Leontio Hilarus papa.*

**D**ILECTIONI meæ, quæ circa ecclesias Gallicanas, Domnesque in eis Domini sacerdotes, etiam in inferiori gradu positos, abundat, multum accedit augmenti, quod per virum spectabilem Pappolum filium nostrum sermonis tui ad me sunt delata principia. Ex quo tamen coniiicio, paginam meam, quam dudum de episcopatus mei primordiis misi, nec dum traditam tibi fuisse cum scriberes; de qua utique non siluisses, nisi perlatores aliqua causa tardasset. Vnde quod & consuetudo poscebat, & caritas, iam pridem me executum fuisse significo, & hoc ipsis literarum exemplaribus, quæ direxi, plenius nosse vos cupio; ut officio fraterno in nullo intelligatis fuisse me desidem, & ita vicissim frequentandis studeamus alloquiis, ut vicem nobis communis præsentis scribendi cura compenset, frater carissime. Affectus itaque tui gratiam perire non passus es, quod ei sollicitudini intentum te esse cognosco, ut custodiendis paternorum Canonum regulis studere me cupias. Quo desiderio nihil concipi salubrius potest, quam ut in vna ecclesia, cui oportet nec maculæ aliquid inesse, nec rugæ, vna sit in omnibus obseruatio disciplinæ. Cui si aliquid eruditionis aut correptionis addendum est, rectissime per vestram

diligentiam consulatur, si quemadmodum es dignatus scribere, tam instructa ad nos fuerit persona directa, quæ inquisitionem nostram plene ex omnibus possit instruere. Spondeo enim, quantum gratia Dei donat ut spondeam, hoc me ad vniuersalem sacerdotum Domini concordiam prouisurum, ut omnes non sua audeant quærere, sed quæ sunt Christi studeant obtinere. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

## EPISTOLA VII.

## HILARI PAPÆ

## AD LEONTIVM.

Monet ut relationem mittat de Herme, qui ecclesiæ Narbonensis episcopatum temere vsurpasse dicebatur.

*Dilectissimo fratri Leontio Hilarus papa.*

**M**IRAMVR fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem esse, ut quæque iniqua, & contra patrum nostrorum statuta, in prouincia quæ ad monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis, aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere. Si quidem quod & rumore cognouimus, & quantum diligenter a diacono Ioanne, qui a magnifico viro filio nostro Friderico literis suis nobis insinuatus est, requisuimus, quod iniquissima vsurpatione quidam Hermes episcopatum ciuitatis Narbonensis execrabili temeritate præsumperit. Quam rem decuerat sanctitatem tuam ut nobis in vestigio indicaret. Qua de re, frater carissime, monemus, ut si fides adhibeatur assertis, seposita excusatione, ad nos tam tuæ dilectionis, quam fratrum nostrorum, aut per portitorem literarum, aut per quem ipsi elegeritis, subscriptam manuum uestrarum relationem transmittatis, ut quod definire possimus, recurrenti pagina possitis agnoscere. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data III. Nonas Nouembris.

N n n iij

- I. *Hermem Narbonensi ecclesie præsidere ita permittis, ut ordinandorum episcoporum careat potestate.*      *proficiscantur. Quod si eas impetrare non poterunt, causam discutiet episcopus Arelatensis.*
- II. *Vt Concilia quotannis fiant ex quibus prouinciis poterunt, & a Leontio conuocentur.*      *IV. De parochiis ecclesie Arelatensis, quas repetebat Leontius, iudicium ad episcopos remittit.*
- III. *Vt sine metropolitani literis episcopi in aliam prouinciam non*      *V. Vt prædia ecclesiastica non alienentur, nisi apud Concilium alienationis causa prius doceatur.*

*DILECTISSIMIS FRATRIBVS EPISCOPIBVS  
Prouinciæ Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primæ  
& secundæ, & Alpium Pœninarum,  
Hilarus episcopus.*

**Q**VAMQVAM notitiam dilectionis vestræ quanta vel qualia in Narbonensi ac Biterrensi ecclesia dudum sint admittæ non lateant, & præsumptionis improbitas ad nos vsque perueniens procul dubio regionibus manifesta fit Gallicanis: apostolicæ tamen sollicitudinis interest, culpas in nostro deprehensas examine non tacere; ne per incongruum silentium cum iniqua agentibus habere videamur coniuuentiæ portionem. Olim igitur urbium præfides prædictarum sanctæ memoriæ decessori meo non minus quam nobis, etiam tunc attulerunt doloris, illicitis petitionibus audendo prosequi, quod vix apud patientiam nostram sola necessitatum potuit deploratione leniri. Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum constat exemplis, & qua non obiurgatione dignissimum est, quod sanctorum patrum decretis, & ipsis repugnat Canonum institutis? cum ideo se frater iam & coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit iure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi. Qui si vere hoc in se factum doleret, & legitimo remedio subuenire propriæ scisset iniuriæ, vindictam magis debuit sperare perpeffis, quam veniam perpetratis. Denique si nunc saltem communi omnium Do-

mini sacerdotum vtatur animo, si imitetur exemplum, si ad hæc quæ ecclesiastica quietis contemplatione vtcumque sopita sunt, oculis cordis intendat, & pro totius ecclesiæ pace, vel fide, quæ sunt multipliciter errata consideret: nihil est profecto, quod non etiam ipse reprehendat, & erubescat sibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim, & iam diu de memorati fratris conuersatione nihil habemus ambiguum, cum antea acta vitæ ipsius cursum, & retro \* antepositum nostro reuoluentes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurrisse potius, quam fecisse, æstimamus excessus. De quibus præsentente fratrum numeroso Concilio, & ex diuersis prouinciis ad diem natalis nostri in honorem beati Petri apostoli per Dei gratiam congregato, præsentibus fratribus & coepiscopis nostris Fausto & Auxanio, atque agentibus plurimis, quæ vigorem respiciunt auctoritatemque iudicii, id a nobis pacis est amore constitutum, vt in sententia, quam sub aduersione vtriusque legationis inde directæ, Christo Domino nostro inspirante, protulimus, neque caritas euangelicæ indulgentiæ, neque apostolicæ virga defuerit disciplinæ. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere.

## I.

Ei qui nunc ecclesiæ Narbonensi præsidere permittitur, ordinandorum episcoporum, ob hæc quæ prauè facta sunt, sustulimus potestatem. quam ita ad fratrem & coepiscopum nostrum Constantium Veticæ ecclesiæ antistitem, quia auo honoris primas esse dicitur, pertinere censuimus, vt si superstite Herme episcopo defunctus fuerit, illum hæc cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem. Herme autem episcopo deficiente, faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur ecclesiæ, quem non ciuitas, sed causa præsumptionis amisit. Vnde vestræ fraternitatis in Domino sincera dilectio, sollicitudinem pastoralis curæ in suis sedibus partita nobiscum, commissarum sibi ecclesiarum diligentiam vigilanter exerceat, & eorum taliter quæ in Narbonensi prouincia emerfere, meminerit, vt detestetur factum potius, quam sumat exemplum. Quod ita deinceps esse nolumus, sicut nouimus non fuisse. Itaque,

\* omne  
propofitum

fratres carissimi, necessariis studiis est agendum, ne error, quem iuuante Christo Domino nostro nuper aboleuimus, aut in similes, aut in nouos vnquam prodire possit excessus. Quod vtique non aliter poterit præcaueri, nisi statuta venerandorum Canonum in faciendis conuentibus, quos hætenus omitti fecit certa necessitas, exequamur: in quibus possint, pro emergentium necessitate causarum, ad ecclesiasticæ obseruantiam disciplinæ, & quæ secus facta fuerint, corrigi, & sequenda constitui.

## II.

Per annos itaque singulos, ex prouinciis quibus potuerit congregari, habeatur episcopale Concilium: ita vt opportunis locis atque temporibus, secundum dispositionem fratris & coepiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegauimus, metropolitanis per literas eius admonitis, celebretur: vt si quid vsquam vel in ordinandis episcopis, vel presbyteris, aut cuiuslibet loci clericis faciendis, contra præcepta apostolica reperitur admissum, aut in eorum conuersatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate refectur. In ea præcipue celebritate conueniatur, quæ præsidente Christo Domino nostro, & veneranda sit sanctis, & formidanda peruersis. Nec cuiquam licebit a regulis euagari, quas sibi iuxta Canonum definitiones vnita fraternitas in commune præfixerit: cum imminente quotannis examine ita singuli actus suos dirigent, vt his discussio iudicii optari magis debeat, quam timeri. In dirimendis sane grauioribus causis, & quæ illic non potuerint terminari, apostolicæ sedis sententia consularur.

## III.

Illud etiam non possumus præterire, quod solitudine diligentiore curandum sit, ne præter metropolitanorum suorum literas aliqui ad quamlibet prouinciam audeant proficisci. quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. Quibus e contrario hac ratione prospicimus, vt si hoc impetrare per aliquam non meruerint simultatem, cum duobus metropolitanis prouinciarum, quæ congruæ sunt, Arelatenis episcopus cuncta discutiens, pro causæ qualitate  
obser-



obseruanda constituat: nec in iniuriam alterius alienum clericum suscipi præter testimonium proprii antistitis secundum Canonum statuta præcipiet. Singuli autem fratres, vniuersique cognoscant parendum esse præsentibus constitutis. quibus etiam commonitio nostra denuntiat in eos Christi Domini nostri iudicium minime defuturum, qui declinando superba rebellione conuentus, conscientia suæ testimonio confutantur sacerdotalis innocentia fiduciam non habere.

## IV.

Præterea eiusdem fratris libellus oblatu est nobis, quo perhibet parochias Arelatensis ecclesie a prædecessore suo Hilario in alios (quod non licuit) fuisse translatas, petens illas pristino iuri nostra auctoritate restitui. Sed moderaminis apostolici memores, fraternitati vestrae querelam ipsius remisimus audiendam, ut in vestro conuentu ea quæ a nobis sperata sunt, allegentur, & quæ ecclesiasticis regulis congruunt, decernantur.

## V.

Simul etiam super hoc vniuersam fraternitatem volumus esse commonitam, ne prædia, quæ neque deserta, neque damnosa sunt, & ad ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subueniri, aliquo iure in alterum transferantur, nisi prius apud Concilium alienationis ipsius causa doceatur, ut quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data III. Nonas Decembris, G. L. P. Seuero Augusto consule.

## EPISTOLA IX.

## HILARI PAPÆ

## AD LEONTIVM.

De Mamerto episcopo, qui extra suos fines Deensibus episcopum ordinarat, ut illius causam in Synodo examinet.

*Dilectissimo fratri Leontio Hilarus.*

**Q**UALITER contra sedis apostolicæ veniens constituta, sacerdotalem modestiam Mamertus episcopus Viennensis exceßerit, dilectionis tuæ debuimus relatione cognoscere, ut ausibus talibus maturum & iux-

*Concil. Tom. 9.*

000

ta ecclesiasticarum ordinem regularum congruum iudicium proferremus. Quantum enim filii nostri, viri illustris, magistri militum Gunduici sermone est indicatum, prædictus episcopus inuitis Diensibus, & qui ad ecclesiarum eius numerum, quem ei apostolicæ sedis deputauit auctoritas, sicut in scriniis nostris legimus, minime pertinebant, hostili more, vt dicitur, occupans ciuitatem, episcopum consecrare præsumpsit. In quo, frater carissime, si ita est, quam multiplex culpa sit, pronuntiare possimus, nisi iudicii, vt diximus, & moderatio nobis esset, & ordo seruandus. Atque ideo memor sollicitudinis, quam dilectioni tuæ scis esse commissam, quidquid nunc ad notitiam nostram breui insinuatione delatum est, in conuentu synodali, qui secundum statuta nostra annis singulis te sibi præsidente est congregandus, discutere quæ sunt acta debebis, & a prædicto rationem facti sui sub vniuerso cœtu fraternitatis exigere, ac deinde omnium literis nostræ intimare notitiæ; vt quod sancto Spiritu dictante est faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data VI. Idus Octobris Basilio viro clarissimo consule.

## EPISTOLA X.

## HILARI PAPÆ

AD EPISCOPOS DIVERSARVM PROVINCIARVM  
GALLIÆ.

Ne quisquam suos terminos transcendat, & vt Concilia quotannis Leontii episcopi opera conuocentur.

*Dilectissimis fratribus episcopis prouinciæ Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primæ & secundæ, Alpine,*  
*Hilarus episcopus.*

**E**TSI meminimus fraternitatem vestram ea quæ sunt a nobis statuta retinere, nec aliquid ex his dissimulare quæ scripsimus: vt scilicet pro disciplina ecclesiastica, & pro causis quas inter Domini sacerdotes oboriri plerumque non dubium est, synodalia quotannis Concilia, quorum maxime in fratre & coepiscopo nostro

Leontio Arelatensis ecclesiæ sacerdote summam placuit esse, celebrentur: nec aliud fieri posse credamus, quam quod pro communis Domini domo nostra ordinatio vobis placitura constituit: tamen repetitis literis eadem nunc quoque obseruanda decernimus; præcipue cum grauißima Viennensis ciuitatis episcopus inuoluatur offensa, in iniuriam fratris & coepiscopi nostri Leontii Deensibus antistitem consecrando. De cuius facto vindictæ congruæ sententiam differentes, relationi fratrum quæ interim fuerant visa respondimus. Sed quoniam tanti excessus maiorem nobis sollicitudinis materiam detulerunt, hæc ad vniuersam caritatem vestram etiam per fratrem & coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus, quibus admonita communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam fratrum in alterius prorupturus iniuriam, transcendat terminos a venerandis patribus constitutos. Vnde omnia quæ a nobis sunt per fratres & coepiscopos nostros Faustum & Auxanium definita roborantes, congregationes annuas, ordinante fratre & coepiscopo nostro Leontio, admonitis metropolitanis, quod sæpe dicendum est, iis locis celebrare dignemini, ad quæ conueniendi nulla sit cuiquam commendantium difficultas. Cui diligentia etiam prouisio adhibenda est, vt opportunitas quemadmodum locorum, ita constituatur & temporum: vt inexcusabilior, quisquis tam necessarium & salubre constitutum nostrum negligendum putaret, appareat, fratres carissimi. Illius autem confirmationem, quem Viennensis episcopus alienum, & ad se minime pertinentem, grauitè ordinare præsumpsit, fratris & coepiscopi nostri Leontii reliquimus voluntati; quem confidimus non præter humanitatem pensare quæ iusta sunt. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

Hincmarus  
epist. 6. c. 9.

## EPISTOLA XI.

## HILARI PAPÆ

AD EPISCOPOS QVI DE MAMERTI CAUSA  
IN SYNODO COGNORANT.

Præceptum Hilari papæ de ecclesia Dienneſe, vbi episcopus  
indebite a Viennenſi episcopo ordinatus est.

*I. Vt per Veranum episcopum mon-  
neatur Mamertus, vt ab ordi-  
nationibus indebitis, ordinis ſui  
& priuilegiorum periculo, in po-  
ſterum abſtineat.*

*II. Vt qui Decensibus a Ma-  
merto conſecratus est, Leon-  
tii Arelatenſis episcopi, a quo  
conſecrari debuit, arbitrio con-  
firmetur.*

*DILECTISSIMIS FRATRIBVS, VICTVRO,  
Ingenuo, Ydatio, Euftaſio, Fonteio, Viuentio, Eulalio, Vera-  
no, Fauſto, Auxanio, Proculo, Auſonio, Paulo, Memoriali,  
Cæleſtino, Proiecto, Eutropio, Auitiano, Vrſo, & Leontio,  
Hilarus.*

**S**OLICITIS admodum nobis, & ex his quæ proxima  
ſad nos relatio certa detulerat, multa expectatione  
ſuſpenſis, literæ dilectionis veſtræ, fratre & coepiscopo  
noſtro Antonio, quem dignum tanta legatione proba-  
mus interpretem, deferente, ſunt traditæ, quæ nos ab  
iſtis contextus ſui contriſtauere principiis. Nam qui re-  
quieſcere ſollicitudinem noſtram, & magna ex parte re-  
leuari in his quæ a ſanctæ memoriæ deceſſore meo de  
Viennenſi episcopo præfixa ſunt, credebamus, euidenti  
aſſertione cognouimus, & non ſine dolore miramur, de-  
finitiones illas a Mamerto episcopo nunc potuiſſe tranſ-  
ſcendi, per quas eccleſiæ priuilegium probat acquiri,  
cum præcipue ſancti fratris & coepiscopi noſtri Leontii  
moderatio formæ continentiæ præbere debuerit ambi-  
enti: aut ſi ſpiritu æmulationis inflatus, eum (quod non oportuit)  
arbitratus eſt negligendum; deceſſoris ſui ſaltem in-  
ſtructus exemplo, illius imitaretur temperantiam, cuius  
honore perſungitur; nec tranſgrediendo violaret, quod  
iam nunc, niſi patientiæ moderamina teneremus, poſſet a-  
mittere. Cui vnquam profuit mens rebellis? aut quem ſu-  
perbiæ non inclinauit elatio? Altior eſt humilitatis gratia,  
cui paupertate ſpiritus ad præmium promiſſæ beatitudinis

iter regni cælestis aperitur. Nec perfunctorium præuaricator existimet esse quod fecit, si eruditus doctrinis ecclesiasticis, quid uterque mereatur agnoscit: cum alter secundum propheticam vocem in medio dominicæ domus habitare prohibetur; alter respiciente se Deo semper iunctus asseritur, cuius consolatione saluatur. Psal. 100. Possent venerabilium veterum multa replicari, quæ iuxta veritatem dicta demonstrantur: sed ab eadem causâ, quæ se ut loqueremur, ingessit, recentiora sunt exempla sumenda. Nam dignitatem Viennensis ecclesiæ Mamertus episcopus meminit Arelatenfis antistitis quondam transgressionem creuisse, & pro corrigendis quæ perperam gererentur, inuiolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium præcessoris reperiretur exutus. Sicut ergo & vestræ dilectionis relatio, & fratris & coepiscopi nostri Antonii insinuatio reseravit, claret prædictum priuilegia certis conclusa terminis velle perdere plus volendo, qui abusus fratris & sacerdotis Leontii moderantia, Diesibus contra fas episcopum, etiam si est meritis, non timuit consecrare. In quo factum eius conuenerat sic resolui, ut iuxta eorum quæ perpetrata sunt qualitatem, non sine iactura proprii ordinis, etiam illum a sacerdotali consortio submoueri cerneret, quem creauit indebite, quemque indignissime fecisse conuincitur, correptum iusta ultione sentiret, ne conceptæ audaciæ incastigata temeritas licentiæ se peperisse putaret exemplum. Verum ad ecclesiarum quietem tantæ transgressionis vulnera, memores apostolicæ sapientiæ, curari volumus ante fomentis, ut corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta reuocetur; nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Præuia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato vel quod facile prodesse possit, offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicinæ ipsius & modus est quærendus & qualitas; ut omnis per sapientiam facta in vitiis reprimendis sollicitudo curantis gaudeat reparatione quod saluat, nec careat moderatione quod refecat. His igitur vestra fraternitas gra-

uiter prudenterque perpensis, talia apud nos dissimulari posse non æstimet, in quorum se maxime cõtumeliam, qui non immerito pulsatur, erexit. Fratris enim nostro Leontio nihil constituti a sanctæ memoriæ decessore meo iuris potuit abrogari, nihil valuit, quod honori eius debetur, auferri: quia Christianorum quoque principum lege decretum est, vt quidquid ecclesiis earumque rectoribus, pro quiete omnium Domini sacerdotum, atque ipsius obseruantia disciplinæ, in auferendis confusionibus apostolicæ sedis antistes suo pronuntiaffet examine, veneranter accipi, tenaciterque seruari, cum suis plebibus caritas vestra cognosceret: nec vnquam possent conuelli, quæ & sacerdotali ecclesiastica præceptione fulcirentur, & regia. Vnde, fratres carissimi, præsumptionem prædicti, quæ in fratris & coepiscopi nostri Leontii processit iniuriam, ita conuenit tolerari, dignæ nunc interim vltionis immunem, vt si transgressor remediis abutitur satisfactionis & veniæ, nec culpam præsentis excessus curandam futuræ obseruantia sedulitate promittit, redeunte querimonia, eo priuilegia Viennensis ecclesiæ ad Arelatensem antistitem transferantur exemplo, quo migrauere principio.

Iuo part. 5.  
c. 32.

## I.

Vnde nostræ moderationis nomen tenentes, ad Veranum fratrem & coepiscopum nostrum scripta direximus, vt prædictum ex nostra delegatione conueniat, quatenus quid de eo retuleritis agnoscat: quia onerosum esse non debet, delinquentem fratrem de propriis excessibus increpare, quibus præceptum constat frequenter ignoscere. Neesse est autem, si nullum correctionis eius indicium sumpserimus, (quod illa est professione retinendum, qua definitionem sedis apostolicæ periculo ordinis sui semper conseruandam sine vlla deinceps transgressione testetur) ad Arelatensem ecclesiam easdem quatuor ciuitates, quarum non fuit, aut non fuerit Mamertus episcopus ordinatione contentus, esse reuocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, si vllus vnquam post eum, quem nunc caritate corripimus, & vltius ab illicitis confidimus abstinere, præsumptionis huius imitator extiterit.

## II.

De hoc sane, qui, licet indebite, Deensibus cognoscitur ordinatus, iustitiæ ratione censuimus, vt sacerdotium eius fratris & coepiscopi nostri Leontii confirmetur arbitrio, a quo rite debuit consecrari. Deus vos custodiat, fratres carissimi, auo longiore. Data sexto Kalendas Martias P. C. Basilii viri clarissimi consulis.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *A Mamerto.* ] Mamertus, alias Mamercus, sanctissimæ vitæ & Mamertus an rogationes instituit. beatissimi obitus Viennensis episcopus, qui vsum sacrum litaniarum antiquitus editum, disciplinæ solutione, cultu remissiore neglectum in Galliis tempore Valentiniani tertii imperatoris, anno Christi 452. vt scribit Ado Viennensis, restituit, triduoque ante ascensionem suo exemplo & experimento vtilissimo, eas quæ rogationes appellatæ sunt, & nunc ab vniuersa ecclesia receptæ, celebravit. Has a Mamerto non primum in Galliis fuisse institutas, sed tantum magno cum feruore ad terræ motus, incendii, aliarumque cladum pericula auertenda reformatas, post Adonem, testatur Sidonius libro quinto, epistola quarta ad Aprum his verbis: *Harum rogationum solennitatem primus Mamertus pater & pontifex reuerendissimo exemplo, vtilissimo experimento inuenit, instituit, inuexit. Erant quidem prius (quod salua fidei pace sit dictum) vage, repentes, infrequenteque, atque (sic dixeris) oscitabunda supplicationes, quæ semper interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur: ad quas, vt nihil amplius dicam, seculo pariter & hortulano non oportuit conuenire. In his autem, quas supra satis summus sacerdos & protulit pariter & contulit, ieiunatur, oratur, psallitur & stetur, &c.*

Vnde patet sanctum Mamertum episcopum non tam instituisse, quam restituisse sacras rogationes, easque in meliorem formam reduxisse. Harum enim rogationum triduanarum ante ascensionem Domini celebrari solitarum sanctus Augustinus multis annis Mamerto anterior meminit sermone 173. de tēpore, in vigilia ascensionis. *Scire debemus, inquit, & intelligere, fratres carissimi, quia dies compunctionis & pœnitentiæ celebramus, &c.* Et circa finem: *Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de ecclesia conuentu subducat. Sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus ieiunando, orando & psallendo medicamenta sibi spiritu alia non inquirat.* Litanias vero & processiones temporibus sancti Gregorii Thaumaturgi & Tertulliani tertio sæculo in ecclesia vsurpatas fuisse, patet ex epistola Basilii sexagesima tertia ad Neocæsarienses, & Tertulliani libro secundo ad vxorem. Item ex iis quæ dixi supra in notis Canonis decimi septimi Concilii Laodiceni. Vide quæ hac de re prolixè scribit Baronius anno 475. num. 12. & sequentibus. Et in notis martyrologii Romani 25. Aprilis, verbo *litanias*.

Hunc Mamertum Viennenses anniuersaria festiuitate colunt vn- Mamertus

an iuste ab  
Hilario pa-  
pa repre-  
hensus.

decimo Maii. Qualis quantusque fuerit, Sidonii Apollinaris, qui eum nouit, eoque familiarissime usus fuit, epistola vndecima lib. 4. & prima lib. 7. indicat: Alcimus Auitus, secundus post eum Viennensis episcopus, in homilia quam de rogationibus habuit. Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 2. cap. 34. &c. Quod itaque aduersus hunc Mamertum sanctitate insignem Hilarius pontifex hac epistola, quasi alienam iurisdictionem illicite usurparit, adeo vehementer insurrexerit, non est mirum. Quis nesciat sæpe accidere, vt falsis accusationibus & subreptionibus aures pontificum replentur, & cum putant agere quod iustum appareat, innocentem exagitant?

Quod accidit Leoni pontifici sanctissimo in causa Hilari Arelatensis, qui epistola 89. acerrime innocentem perstrinxit, idem ex obreptione Hilario pontifici in causa Mamerti accidisse potuit.

#### DECRETVM HILARI PAPÆ

iuxta Gratianum, quod in prioribus non ponitur.

*Corpus Christi in singulis portionibus singuli totum accipiunt.*

De conf.  
distinct. 2.  
Vbi pars  
est.  
Exod. 16.

Vbi pars est corporis, est & totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præcessit. De quo dicitur: *Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus parauerat, habuit minus.* Non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis.

ALIVD DECRETVM EIVSDEM,  
ex codice librorum sexdecim, cap. XIX.

*De contentiosis.*

1. Cor. 11.

*Si quis videtur contentiosus esse, dicente Apostolo, nos talem consuetudinem non habemus, sed neque ecclesia Dei: si quis facit, notetur, vsquequo se corrigat.*

•EPI-



EPISTOLA SANCTORVM EPISCOPORVM  
 LVPI TRICASSINI,  
 ET EUPHRONII AVGVSTODVNENSIS,  
 AD TALASIVM EPISCOPVM ANDEGAVENSEM.

De solennitatibus, & de bigamis clericis, & iis qui  
 coniugati assumuntur.

*Domino sancto, & in Christo cultu atque honore venerando,  
 beatissimo fratri Talasio episcopo, Lupus & Eu-  
 phronius episcopi pariter positi.*

COMMONITORIVM quod per subdiaconum Archon-  
 tium missum fuerat, inspeximus: ad quod sanctitati  
 tuæ, sicut poposcisti, respondere curauimus. Vigilia na-  
 talis Domini longe alio more, quam paschæ vigilia, ce-  
 lebranda: quia hic natiuitatis lectiones legendæ sunt, il-  
 lic autem passionis. Epiphaniæ quoque solennitas habet  
 suum specialem cultum. Quæ vigiliæ vel maxime, aut  
 perpete nocte, aut certe in matutinum vergente, curan-  
 dæ sunt: paschalis autem vigilia a vespere raro in matu-  
 tinum vsque perducitur. Deinde in vigilia paschæ diuer-  
 forum librorum lectiones sunt recensendæ, quæ totæ ha-  
 beant aliquid de præfiguratione, aut vaticinio passionis:  
 antedicta autem vigilia, prout visum fuerit, inter psallen-  
 dum & legendum, siue de prophetis, siue de nouo te-  
 stamento, quod quisque voluerit, non legali, sed volun-  
 taria lectione præsumet. De clericis vero bigamis, vsque  
 ad ostiarios ecclesia permittit & patitur; & quam quis  
 sacerdotum regulam pro districtione sua assumpserit, iu-  
 re custodiet. Exorcistas vero, aut subdiaconos, a secun-  
 dis nuptiis penitus excludit. Generationem vero filiorum  
 ab his, quos coniugatos assumimus, melius esset, si fieri  
 possit, arceri: quos melius est non assumi, quam de his  
 postea sub diuersâ sensum varietate certari: cum melius  
 sit omnes disceptationum causas excludi, vt qui non vult  
 in clericatu generari, non constituat in altario coniuga-  
 tos. Hæc pro consuetudine ecclesiarum nostrarum, qua-  
 rû vna est regula, paginæ huius sermone texuimus. Si quid  
 vero pro honore Domini potest districtionis accrescere,

*Concil. Tom. 9.*

PPP

& si imitari non possumus, pro Domini honore laudabimus. Nam iam ecclesiæ obsequiis aggregatos ad secundas nuptias transire non patimur: quos, postquam assumpti fuerint, etiam a primis penitus arcemus; exorcistas dumtaxat, atque subdiaconos. In Augustodunensi autem ecclesia, vel ostiarius in imo officio constitutus, si uxorem aliam acceperit, ab officio penitus abdicatur. Subdiaconos autem ad pacem inter se in sacrario oportet accedere: in altario autem, non nisi dum porrigunt pallas diacono, aut suscipiunt quod refertur; ad pacem autem nequaquam eis permissum est. Si autem illius amentia fuerit vel exorcista, vel subdiaconus, vel etiam, sicut supra memoratum est, ostiarius, ut secundis se nuptiis illigari non solum ab officio, sed etiam a communione penitus arcetur.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Epistola.* ] Huius etiam epistolæ tempus incertum est, nisi quod Talasii noui, ut apparet, episcopi admonere nomen videtur, ut non multo post Andegauense Concilium, in quo episcopus ordinatus est, ad eum missam credamus. Præter varia eius exemplaria, quæ in manus nostras venerunt, animaduertimus eiusdem fieri mentionem in antiqua collectione Canonum, quæ est in bibliotheca sancti Germani Parisiensis.

ADMONITIO IACOBI SIRMONDI  
AD LECTOREM

*De Conciliis Turonico & Venetico.*

Concilium Veneticum, quod præponi hætenus solebat, Turonico subieciimus, non solum quia in codice Rhemenfi, & in aliis postponitur, sed hoc præcipue ducti argumento, quod Nunechius episcopus, qui Concilio Venetico subscribit, successor Eusebii Namnetensis fuerit, qui Turonico subscripserat. Simili etiam modo, Turonicum ipsum anno Christi 461. quo consulatum Dagalaifo collega gessit Seuerinus, restituendum deprehendimus. Nam qui ad Seuerini alterius tempora, qui consul fuit anno 482. referendum in postremis Conciliorum editionibus censuerunt, non animaduertentur Leonem Bituricensem episcopum, qui Concilio Turonico interfuit & subscripsit, ad illius, quem volunt, Seuerini consulatum minime peruenisse, sed multis ante annis vita excessisse: quod quidem ex iis quæ de Simplicii, quarti a Leone Biturigum episcopi, electione postmodum ex Sidonio proferentur, liquido patet.